



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

facti, & prauam intentionem. In contrarium vero est, quia ille non intendebat homicidium absolute, sed Petri, & supponitur adhibuisse sufficientem diligentiam ne posset esse alius: ergo omne aliud homicidium est illi inuoluntarium omnino. Præterea si actio illa cum eisdem circumstantiis processisset ex intentione occidendi feram, non incurreret irregularitas: ergo idem est in presenti: suppono enim intentionem prauam occidendi Petrum non fuisse ut in illa actione fuerit maius periculum occidendi Paulum, quam si fuisset ex intentione occidendi feram: tunc enim licet respectu Petri actio sit iniusta, & periculosa, non tamen respectu Pauli, qui de facto occiditur, ius autem quando ponit irregularitatem propter hoc homicidium casuale, loquitur de actione iniusta, & periculosa respectu illius, qui tandem occiditur. Ut in casu capit. vltim. de Homicid. in 6. si mandatarius excedens mandatum intendat occidere, quem tantum vulnerare iussus est, & casu omnino fortuito non illum, sed alium occidat, mandans non manet irregularis quia eius mandatum nullo modo dirigebatur ad illam personam, quo sensu dicimus actionem illius non fuisse iniustam respectu talis personæ: ius autem solum loquitur quando homicidium contingit in eadem persona, circa quam actio iniusta exercetur. Ergo idem erit de quocumque exequente talem actionem. Quamquam enim in illo sit aliqua maior ratio dubitandi, eo quod propinquius concurrat: nihilominus tamen in rigore idem esse videtur quantum ad hanc legem spectat. Unde speculative pars hæc videtur satis probabilis: practice vero consulerem peti dispensationem propter dubium & horrorem facti: & quia ibi non potest excusari malitia homicidij exterioris cum effectu sequuto.

19
Solutur
tertia.
Caietan.

Ad tertium negatur sequela: cuius rationem optime declarauit Caietan. in d. art. 3. quia ut irregularitas contrahatur ex homicidio casuali, necesse est ut mors sequatur ex actione eius, qui irregularis efficitur in eo autem casu non sequitur ex actione vulnerantis, sed aliunde. Quocirca, quamuis actio vulnerandi ex genere suo periculosa sit, tamen hic & nunc, ut in individuo in proposito casu facta est, non fuit periculosa, ut supponimus, & ideo auctor eius hic & nunc iam non est causa homicidij. Quod autem dici possit occasio remota, non satis est, ut vulneranti tale homicidium imputetur: nec de hoc aliquod speciale ius est, & ideo ad irregularitatem non sufficit. Quod recte explicatur in casu cap. vlt. de Homicid. in 6. Tunc enim mandans incurrit irregularitatem, quando mandatarius excedens fines mandati occidit, vel mutilat: at vero si non excessisset, nec lethaliter vulnerasset, alter vero culpa sua, & propter aliquem inordinatum excessum moreretur, mandans non incurreret irregularitatem ex vi illius iuris: quod requirit, ut mandatarius fines mandati excedat: nullum est autem aliud ius propter quod irregularitas in eo euentu incurratur: non ergo incurritur: eadem autem ratio est de ipso mandatario, & de quocumque alio simili percussore.

DISPUTATIO XLVI.

De irregularitate contracta ex homicidio necessario, seu in defensionem facta.

NON vocatur hoc homicidium necessarium, quia non fit per actionem humanam, constat enim humano modo & voluntarie fieri: sed quia non sponte fit, nec per se intenditur, sed ex necessitate iustæ defensionis. Supponimus enim licitum esse vim

A vi repellere, & se defendere etiam usque ad mortem aggressoris, dummodo fiat, cum moderatione inculpatæ tutelæ, ut iura loquuntur, id est, quando iniuria non potest aliter impediri, & tanta est, ut cum tanto nocumeto proximi iuste possit propulsari: nam si hæc mensura excedatur, iam homicidium non erit necessarium, sed voluntarium, & propria autoritate factum. Potest præterea multiplex esse defensio, vitæ & proprii corporis, & bonorum fortunæ proximi, & patriæ seu communis boni, de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Virum Occidendo alium in defensionem propria personæ contrahatur irregularitas.

Ratio dubitandi est, quia iura ita indistincte loquuntur ponuntque homicidium ob defensionem, ut sufficientem causam irregularitatis, capit. Si quis viduam, dist. 50. Aut consilij, dist. 36. aut præcepto, aut defensione, quæ verba repetuntur etiam in c. 2. de Cleric. pugn. in duel. Fauet etiam Concilium Trid. sess. 14. cap. 7. dicens, Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodammodo dispensatio iure debeat. & c. supponitur ergo irregularitas contracta. In contrarium autem est, quia tale homicidium humano modo non est voluntarium, sed necessarium, & aliqui est inculpabile, ut supponitur: ergo non est dignum irregularitate, quia neque in penam, cum non sit culpa, neque ob defectum lenitatis, quia non interuenit ubi est necessitas defensionis.

De hac re fuit olim controuersia iuxta antiquum ius, adeo ut D. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 2. ad 3. dixerit, clericum qui se defendendo interfecit alium, fieri irregularem, propter capit. De his clericis, dist. 50. Et fuit opinio aliquorum Iuristarum, ut colligitur ex Glossa in ca. Sicut dignum, §. Clericus, verb. Consilium, de Homicid. & in l. vi. verb. Nam iure ff. de Iustitia & iure. Nihilominus tamen expresse iure nouo constat, in eo casu non contrahi irregularitatem in Clem. vnic. de Homicid. & est communis resolutio, ut videre licet in Couarr. ibi 3. p. §. 1. Nauar. r. c. 27. nu. 267. Maiolo lib. 5. cap. 43 nu. 6. Caiet. dict. art. 3. Soto lib. 5. de Iustitia, qua sit. n. arti. 9. Castro lib. 2. de lege pœnali. cap. 4. Summist. verb. Homicidium. Imo probabilius est etiam iure antiquo in eo casu non fuisse incursum irregularitatem. Quod sentit Glossa in dict. ca. Si quis viduam, verb. Defensio, nam addit, Euitabilis, in quo indicat, tunc solum ex illo inrelequi irregularitatem, cum homicidium ad defensionem necessarium non fuit: nam tunc defensio non est cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et idem habet Glossa in capit. Sicut dignum. Et sumi potest ex Stephano Papa in cap. Quia te, dist. 50. ibi. Sed quia te tua sponte id fecisse cognosceris, inde canonice nulla modo iudicabis.

Deinde interpretationem illam legitimam esse patet ex citato decreto Concilij Trid. nam, ut supra ostendi, Concilium ibi non introducit nouam irregularitatem, neque etiam renouauit statutum, vel declarationem Concilij Vient. in dict. Clement. de Homicidio, ut per se euidentius est: ergo cum agit de homicidio ex defensione, intelligit de defensione immoderata. Quod recte notauit Nauarrus Consilio 36. de Homicidio, meritoque ita loquitur

jur iura, quia homicidium absolute significat actum culpabilem: unde tunc dicitur homicidium ex defensione, quando defensio non est pura defensio, sed trahit in aggressionem, ut significatur etiam in c. Significasti, de Homicid. Eodem igitur modo exponi potest dict. cap. De his clericis, quod nimirum loquatur de occasione facta propter defensionem, non tamen necessaria ad defensionem: nam quod interuenit culpa, significant illa verba, per penitentiam emendati. Coniecturæ etiam sunt, quod multi vnum occiderunt. Item quod ille erat paganus, quem maiori licentia, vel etiam odio interficere potuerunt. Unde non probo quod Maiol. supra numer. 9. dicit, ibi latam esse specialem irregularitatem clericorum, ut in eo casu non possint ascendere ad superiores ordines, licet permittantur in susceptis ministrare; nam ibi nulla talis distinctio datur. Improbabilius vero est, quod sentit. illam irregularitatem nunc durare post Clem. de Homic. cum illa simpliciter, & sine distinctione loquatur, & ab omnibus ita intelligatur.

Due generales regulae proponuntur, & de licentia in contrarium expeditur.

Ex his ergo duæ certæ regulæ colliguntur. Vna est, Qui occidit alium in sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ, non fieri irregularem. Hæc satis patet ex dictis. Alia est, qui excedit in modo defensionis, fieri irregularem: quia tunc cessat ratio & dispositio iuris. Ad has vero regulas explicandas nonnulla dubia expedienda sunt. Primum est an habeat locum defensio, & excusatio irregularitatis, quando per fugam potest vitari periculum, & aliquis non vult fugere, sed resistere, ac se defendere. Procedit autem dubium quando quis certus est per fugam posse se euadere omne periculum mortis, mutilationis, & grauis læsionis corporis, alioqui constaret fugam non esse remedium, nec tuitionem sufficientem, ideoque neminem cogi tunc ad tentandam fugam. Supposita autem certa euasione per fugam, sunt opiniones extreme contrariæ. Prima dicit, necessarium esse fugere ad vitandam irregularitatem, etiam si absque dedecore & infamia fugere non possit: quia illa infamia non est vera, sed mundana, cui vita proximi præferenda est. Ita tenet, licet cum formidine Couarr. dict. Relect. 3. p. 5. n. 4. Nauarr. ca. 27. nu. 211. & conf. 6. de Homic. nu. 4. & 5. dicens, licet quis non teneatur fugere ad vitandam culpam: teneatur ad vitandam irregularitatem. Idem Maiol. d. nu. 6. qui referunt Gloss. & alios Doctores, qui maxime in hoc fundantur, quod in dict. Clem. Si fuisset, solum excipitur casus, in quo aliter non potest vitari mors. Secunda absolute negat in eo casu incurriri irregularitatem, etiam si absque infamia possit quis fugere: quia hæc irregularitas non incurritur sine culpa, ut infra videbimus, & ibi non est culpa: quia nemo tenetur fugere, etiam si absque dedecore possit, & ideo nullam aliam penam iuris incurrat, ut communis iuristarum sententia, quam refert Felinus in c. Suscepimus, de Homicid. Tirac. de Nobilitat. c. 26. n. 64. Iulius Clarus, l. 5. §. Homicidium, n. 32.

1. Opinio.

Conarr.

Nauarr.

Maiol.

2. Opinio.

Felinus.

Tiracuell.

Iul. Clar.

5

Distinctio

da dubium

resolvitur.

Suadetur

1 pars.

Coroll.

Glossa.

Nihilominus distinctione vtendum est. Aut enim quis potest fugere sine periculo, & sine dedecore vel infamia, aut non. In priori casu dicendum est fieri irregularem, si resistat, & occidat in sui defensionem. Hoc probant fundamenta prioris sententia. Nec in eo casu potest quis excusari à culpa coram Deo quidquid sit de pœna in humano foro: quia sine mora li necessitate proximum occidit: nec ibi interuenit iusta, & necessaria alicuius rei defensio. Hinc communis illatio omnium est, clericum si occidat alium cum possit fugere, semper & sine distinctione fieri irregularem. Ita Glossa in dict. Clem. & in dict. ca. Suscepimus, & ibi omnes, & alij citati. Et probatur satis ex illo textu. Ratio est, quia clericus non est ignominio-

sa fuga, quia non tenetur esse paratus ad pugnam, imo nec decet eius statum. Unde à fortiori constat, idem dicendum esse de religioso. Idem dixit Soto *Serbo* lib. 5. de Iustitia, q. 2. artic. 8. de homine infirmæ sortis, qui nullam honoris iacturam fugiendo faceret: idemque erit si persona sit tibi ignota, & peregrina, vel si noctu fiat: nam in his casibus & similibus nulla creatur infamia.

In posteriori autem casu: secundo dicendum est, si quis non possit fugere sine graui nota & amissione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri si alium occidat se defendendo. Probatur primo, quia quod vitari non potest sine magna infamia & dedecore, moraliter inuitabile est: & ideo merito hic casus sub verbis Clement. comprehensus intelligitur. Secundo quia ibi non est culpa, ut omnes fatentur, nec est voluntas, loquendo moraliter, quia est moralis necessitas, quid enim magis necessarium moraliter quam vitare grauem infamiam vel amissionem honoris? Aliqui vero hoc limitant, nisi præcesserit culpa, & iniuria ex parte eius qui fugere cogitur, ut si ille dedit alteri alapam, vel iniuriosum verbum dixit, vel cum vxore inuentus est, aut pallium tollere est aggressus, & alter in eum insurgit, non solum ut vim repellat, sed etiam ut vindictam & occidat. Nam tunc licet hic excedat, non potest alter iuste se defendere, si potest fugere, cum ipse dederit occasionem rixæ: & ideo, si fugiendo amittit honorem, sibi, & non alteri imputare debet. Quæ limitatio videtur mihi valde probabilis, quando in contri-

Defensio quæ sit dicenda moderata, quæ immoderata.

Secundo dubitari potest, supposita licita defensione absque fuga, quando censenda sit moderata vel immoderata respectu huius irregularitatis. Respondeo, hoc in particulari iudicare prudentis arbitrij esse. Alioqui vero existimant nunc esse hoc iudicium reſeruatum Episcopo per Concilium Trid. sess. 14. ca. 7. de Reform. adeo, ut ante talem Episcopi declarationem non possit, qui sic interfecit alium promoueri, vel ordinibus uti. Verumtamen, nihil quoad hoc Concilium innouauit, ut ex declaratione etiam Cardinalium supra probauit: nam in hoc eadem est ratio de hoc homicidio, & de casuali, ut ex textu constat. Quando ergo res deducta fuerit ad forum contentiosum, tunc ad Episcopum pertinebit illud iudicium ferre, tamen in foro conscientia vnusquisque sequi potest iudicium conscientia sue, vel alterius viri prudentis & docti, pensatis circumstantiis. Ex quibus aliqua possunt generatim obseruari (nam particulares infinitæ sunt.) Vna & præcipua est, ut qui occidit sit aggressus ab alio, alioqui non esset defensio, sed aggressio. Oportet tamen animaduertere non esse necessarium semper ut quis expectet ictum vel impetum alterius: aliquando enim necessarium est præuenire, ut si quis desperet se posse resistere inimico propinquius accedenti, ut recte docuit Nau. conf. 31. de Homic. & in Summ. cap. n. 2. Quia tunc illa præuentio non est aggressio, sed pura defensio. Supponimus enim (ut idem autor aduertit) actionem illam præueniendi fieri aduersus actualem aggressionem alterius: quia extra illam possunt esse alia remedia, & ideo non est illa licentia extendenda.

Secundo necesse est, ut defensio fieri non possit cum minori læsione proximi: nam, si sufficeret mutilare, aut aliud vulnus infligere, officio esset immoderata defensio. Et eadem ratione propter solam mutila-

Secunda pars probatur.

Quæ limitatio.

Cum limitatio admittitur.

Conc. Trid.

Indicium ad iudicandum an defensio moderata fuerit.

Nauarr.

Syluest.

Maiol.
Armilla di-
cti non reici-
tur.

mutilationem incurreretur irregularitas, si cum sola debilitatione membri, aut minori nocimento posset fieri defensio, ut sentit Syluest. *Homicidium*, 3. q. 4. in princ. & Maiol. dict. num. 6. Armilla verb. *Irregularitas*, nu. 41. ait. non fieri irregularem eum, cui necessarium est mutilare, aut occidere alium, si enim occidat, potius quam mutilet, etiam si mutatio sufficeret ad euadendum periculum, & citat Card. in d. Clem. 1. Et ratio eius est, quia homicidium, & mutillatio æquiparantur in ordine ad irregularitatem, & ideo non refert quod homicidium fiat, potius quam mutillatio. Sed hoc non recte dicitur, quia mutillatio solum æquiparatur homicidio quoad hoc, ut per illam incurratur irregularitas; non vero quoad rationem excusationis: nam aliquando esse potest culpabile homicidium, ubi mutillatio excusatur, ut in prædicto casu: & ideo, licet in eo excusetur irregularitas mutillationis, non tamen homicidij, si fiat. Et ratio est quia homicidium tunc non est necessarium ad defensionem, mutillatio vero est inevitabilis. Neque enim dici potest evitabilis, eo quod per homicidium possit defensio obtineri, quia tale medium in eo casu non est prudens, nec rationabile, & ideo aliud solum relinquatur, ut moraliter necessarium, id est, potius, quam factio, quod in hac defensione maxime considerandum est. Denique potissima conditio, ut defensio sit moderata est, ut sit inculpata tutela, id est, sine culpa homicidij, vel mutillationis, ut patet ex dict. capi. *Significatio*, 2. Homicidium cum similibus, & ex ipsa ratione ob quam irregularitas in hoc casu excusatur. Sed in eo casu defensio non est sine gravi culpa: ergo non est moderata.

Tertium in-
dicium.

Vnde tertia & generalis conditio addi potest, nec defensio fiat cum gravi culpa, quæ in aggressionem transeat, ut si quis iam fugientem insequatur, aut iam desistentem à pugna excitet ad illam, &c. Sed quid si excessus sit per culpam tantum venialem. Respondeo, iuxta superius dicta non sufficere ad hanc irregularitatem: quia hic non potest esse culpa venialis ex leuitate materiae, ut per se constat: ergo ex subreptione & indeliberatione, quæ profecto non consideratur in lege humana. Alioquin inevitabilis esset hæc irregularitas propter iustam defensionem, quia excessus aliquis venialis moraliter inevitabilis est: vel saltem semper esset timenda, & seruanda talis irregularitas, saltem propter probabile dubium facti, quia nemo est, qui in ea occasione non possit merito timere aliquem excessum saltem venialem.

10
An in iusta
proxime an-
tecedens red-
dat in culpa
tam tute-
lam.

Sed difficultas est, an ex iniuria proxime antecedente reddatur inculpata tutela. Dico proxime, quia si ante aliquod tempus præcessit, & post mortalem interruptionem alter aggreditur ad se vindicandum, nihil refert, quia prior iniuria non est circumstantia præsentis actionis, nec causa moralis eius, licet Nauar. infra citandus etiam in hoc casu oppositum sentiat, quod sane probabile non est, ut à fortiori ex dicendis patebit. Est ergo dubium quando quis inchoat iniuriam actualem, & alius in eum insultat, estque vulgaris de adultero, qui in flagranti delicto inuentus, à merito inuasus, eum occidit, ut se defendat. Multi censent non manere irregularem, Syluest. *Homicidium*, 3. q. 4. licet male in contrarium citari soleat. Armilla verb. *Irregularitas*, nu. 42. Tabiena verb. 2. num. 24. Soto supra art. 9. Ratio est, quia immediata defensio est, ut supponitur, moderata: prior autem occasio est nimis remota, quæ per se non sufficit ad irregularitatem, quando alioqui homicidium voluntarium non est. Et confirmatur, nam ob similem rationem diximus supra cum Castro lib. 2. de lege pœnali, ca. 14. adulterum non fieri irregularem, etiam si postea maritus occidat uxorem ratione adulterij. Denique confirmatur, quia sine culpa homicidij non contrahitur irregularitas in priuato homicidio: sed in eo casu non interuenit culpa homicidij, sed adulterij, verb. grat. qua suppo-

1 Opinid.
Syluest.
Armil.
Tabien.
Soto.

fit, adulter non peccat se defendendo, etiam cum occasione alterius, si aliter non potest. Nihilominus in his casibus incurritur irregularitatem tenent Nauar. rus conf. 32. 33. 34. & 35. de homicid. & in Summa Astensis, ca. 15. num. 7. & cap. 27. nu. 138. cum Antonino 3. par. tit. 5. cap. 8 §. 1. Citatur etiam Aftenf. lib. 1. Summe, tit. 35. tenet Maiol. dict. nu. 7. & 8. Vtuntur illo argumento, quia sic occidens dabat operam reillicitæ, & ideo non excusatur ab irregularitate. Sed hæc ratio non cogit, tum quia ille non dabat operam reillicitæ per se ordinatæ ad homicidium, & eo titulo prohibet à iure: tum maxime quia cum committitur tale homicidium, non datur opera rei illicitæ, nā opus illud, quod immediate fit homicidium, licitum est, nimirum propria defensio: quod autem supponatur opus illicitum, nimis remotum videtur. Aliter ergo videtur hæc ratio, quia in his casibus ille, qui occasione præbuit inferendo primam iniuriam, moraliter censetur inchoare rixam, & alium aggredi saltem inferendo illi iniuriam, quem alter propulsare conatur: ergo illa iam non reputatur pura defensio sed moralis aggressio, & ideo non videtur esse satis, ut in rixa defensio per se spectata sit licita: debet enim spectari tota illa ut una actio moralis quæ iniuste inchoatur, & per modum aggressionis, quod satis est ad irregularitatem incurrendam. Sicut, si quis aggreditur alterum animo inferendi iniuriam contra honorem eius sine læsione corporis, alter vero in ipsum insurgat animo occidendi, & ita illum vergeat ut eum compellat ad se defendendum, quantumvis iam licite se defendat, nihilominus irregularitatem incurrat, si occidat, quia absolute fuit aggressor: ergo idem est in iniuria adulterij, quæ non minus prouocat hominem ad vindictam inferendam. Et confirmatur, nam ob hanc causam in tali casu non omnino excusatur aliquis à pœna homicidij iure ciuili, quamuis non ordinariæ, sed extraordinariæ puniendus sit, ut ex Tiraquello & aliis refert Maiolus supra.

Hæc res videtur mihi dubia, nam utraque opinio est probabilis, & habet graues autores, & apparentia fundamenta. Defendendo autem posteriorem oportet hic distinguere duos casus. Vnus est quando occasione adulterij maritus occidit uxorem, de quo supra diximus: alius vero est quando occasione adulterij adulter cogitur interficere maritum: nam in hoc posteriori casu est apparentior ratio irregularitatis, quā in priori, nam ipsemet qui dedit occasionem homicidio, per se ipsum illud efficit: in alio vero casu ipse non est causa efficiens homicidij. Etiam hunc modum responderi potest ad fundamenta prioris sententiæ. Nec tamen difficile est posterioribus fundamentis satisfacere negando illam esse propriam aggressionem, quæ ad rixam, vel homicidium ordinatur, nisi valde remote, quod per se non satis est ad irregularitatem, nisi postea ipsamet actio homicidij culpabilis sit. Ad confirmationem autem sumptam ex iure ciuili respondetur: iustitiam non loqui de homicidio facto cum moderamine inculpatae tutelæ, ut patet ex Tiraquello tractatu de Pœnis temporandis, ca. 1. numer. 11. ubi refert iura, & Doctores loquentes de illo, qui se defendendo modum excessit, quem aiunt, non puniri pœna ordinaria, de illo autem, qui se defendendo modum non excessit, nihil dicunt, imo potius insinuant illum non puniri propter tale homicidium, sed solum propter adulterium, vel alium illicitum opus in quo versabatur: Atque ita hi autores potius fauent huic posteriori sententiæ, quæ mihi satis probabilis prædicte, & tuta videtur, tum propter dicta, tum etiam, quia ius simpliciter excipit se defendentem, & ille casus re vera est propria defensionis. Est autem hæc res favorabilis, & ideo vel amplianda potius quam restringenda, vel saltem simpliciter accipienda est.

Duo tamen occurrunt aduertenda. Vnum est, in eo casu

*Quo notan-
da circa pre-
cedentem ca-
sum.
Primum.*

eo casu teneri eum, qui priorē iniuriā intulit, ad fugiendum, si illo modo sine periculo proprio, & sine occasione alterius potest mortem evitare, neque in illo casu procedere doctrinā superius datā de amissione honoris per fugam, quantumcumque enim amissurus sit honorem fugiendo, nō potest iure alteri resistere. Quia ipse adulter alium aggressus est, & actu illi iniuriā fecit: & abutitur re non sua: ergo iure ab alio repellitur: ergo tenetur aggressor discedere, & non resistere, ergo debet fugere. Et sane quidquid sit de noua culpa, non est dubium quin ad vitandam irregularitatem sit necessarium: quia tota illa est veluti vna actio moralis, cuius initium fuit voluntas iniuriōsa adulterij, & ideo illi imputatur effectus sequutus, quando illum vitare potuit, & noluit. Præsertim, quia in simili casu nulla est rationabilis infamia in fugiendo, cum maritus habeat humanam executionem ob dolorem præsentis iniuriæ. Et idem est in similibus. Aliud notandum est hic habere locum distinctionem supra datā, & à Couarr. infinuatā, an huiusmodi delinquens seu adulter prius adhibuit diligentiam ad cauendum illud periculum, procurans, & secretum, & occasionem in qua non posset tale periculum moraliter timeri, tunc enim maxime procedunt omnia supra dicta. Si autem temere, & sine huiusmodi circumspeditione tale facinus aggrediretur, non solum peccaret adulterando, sed etiam moraliter, & proxime excitando alium ad rixam, ideoque quantum postea moderate se defenderet, non euitaret, vt opinor, irregularitatem, quia à principio fuit illa actio infecta malitia homicidij, saltē indirecte. Exemplum accommodatum est de ebrio, quod late tractat Couarruu. dict. part. tertia, nam communis & vera resolutio est, quod si ebrius tempore inebriationis inuincibiliter ignorauit periculum, postea non sit irregularis, quia tunc comparatur furioso, & amenti, & ratione prioris voluntatis effectus non imputatur, quia nulla fuit: nec refert quod prius opus fuerit illicitem, quia non est per se & proxime ordinatum ad homicidium, neque ob eam rationem est specialiter prohibitum: si autem tunc habuit ignorantiam vincibilem, vel propter priorem experientiam, vel propter aliam similem causam, tunc fiet irregularis ex subsequuto homicidio inebriate, quia illud fuit voluntarium in causa. Ita ergo in presenti philosophamur: maiori enim ratione censemus homicidium, de quo agimus, factum in defensionem, licet ex eo capite non sit directe voluntarium, tamen in causa fuisse voluntarium, quando adulterium non solum iniuste, sed etiam incaute paratum est, & ideo in tali casu irregularitatem incurri.

Secundum.

Casus de ebrio interfecto alium deciditur.

Qualis sit irregularitas quando per homicidium in defensionem incurritur.

Navarr. Conc. Trid.

Vltimo facile ex dictis intelligitur, qualis sit irregularitas quando per homicidium in defensionem incurritur. In quo vitanda est quæstio de nomine an tale homicidium sit casuale, nec ne: sicut etiam non refert quæstio, an tale homicidium possit licite esse directe intentum, aut volitum vt medium. Quidquid enim de hoc sit, in presenti certum est tale homicidium non esse voluntarium, pro vt in hac materia vsurpatur etiam si ob immoderatam defensionem aliquam voluntatem habeat adiunctam, ex qua habet vt sit culpabile, alias irregularitatem non induceret: tamen, quia non sit ex proposito, & industria, ideo voluntarium non reputatur. Quod notauit Nauarrus consilio trigesimo sexto, de Homicid. & sumitur ex Concilio Tridentino, sessione decima quarta, capitulo septimo, nam tam homicidium factum in defensionem, quam casuale, distinguit ab homicidio facto ex industria: aut voluntate, & de omnibus agit quatenus sufficiunt ad irregularitatem inducendam. Vnde, si omne homicidium quod voluntarium non est, dicatur casuale, hoc etiam sub tali membro comprehenditur: Et se-

pe quidem proprie casuale, vel quia excessus defensionis, & effectus eius non fuit directe volitus, vel quia culpa non fuit in hoc excessu, sed in priori causa rixæ iniuste & incaute data, sicut de adulterio dicebamus. Tamen non semper est proprie, & in rigore casuale, nam aliquando potest esse directe intentum, & volitum calore pugne, vt sentit Nauarrus capit. vigesi. sept. numer. 240. nisi dicatur esse moraliter contingens, quamuis non sit phylice, vel dici potest homicidium quodammodo necessarium. Denique vt cumque nominetur, irregularitas ex tali homicidio contracta, non moraliter indispensabilis, sed comprehenditur sub decreto Concilij Tridentini sessione 24. & capit. sext. & sub quacumque alia facultate dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio, excepto solo voluntario. Et huc spectat quod Iuristæ aiunt homicidium factum in defensionem etiam immoderatam, non puniri poena ordinaria: sic enim etiam per canones non punitur irregularitate indispensabili, sed leniori: quod ipsi ampliant multis modis, & omnes existimant habere locum in presenti scilicet, etiam si excessus fiat ex positio, imo etiam si quis iam fugientem prosequatur, & occidat: quia à principio tale homicidium habuit originem alterius rationis, & igitur ille excessus imputatur aggressori, & non directe voluntati eius qui se defendit. Quod posset hic late confirmari: sed hæc nobis sufficiunt; videatur Tiraque-lus in tractatu de Poenis temperandis, caus. 1. nu. 89. & sequentibus.

SECTIO II.

An ex homicidio commissio in defensionem bonorum temporalium contrahatur irregularitas.



LIQVORVM opinio fuit hæc exte-
riora bona non posse defendi licite cū
interitu eius, qui violentē vult illa au-
ferre, etiam si omnino amittenda sint:
quia charitas obligat ad hæc bona tri-
buenda pro tuenda vita proximi, vel etiam quia
alius non est dominus vitæ, sed solus Deus: ergo non
potest quis illam vitam destruere, vt res suas tuea-
tur. Ita sentit Maiolus, & alij infra citandi. Ego vero
suppono, seruatis debitis circumstantiis hoc posse
esse licitum. Quæ est communis sententia Theolo-
gorum, & aliorum Doctorum, vt statim patebit.
Circumstantiæ autem sunt. Prima vt temporale no-
cumentum actus, & iniuste inferatur, sitque graue &
dignum tali propulsatione. Deinde vt sit irreparabi-
le, vel non sine tanta difficultate & periculo, vt vel
ob eam causam possit graue dispendium reputari.
Tertia, vt defensio sit moderata, & pura. Quarta, vt
sit inuitabile nocumentum proximi, vt defensio
habeat effectum. Concurrentibus ergo his cōditio-
nibus, nec contra iustitiam, nec contra charitatem
est, inuasori resistere vsq. ad occisionem eius. Quia
charitas non obligat ad præponendam vitam pro-
ximi propriis temporalibus rebus, nisi quando pro-
ximus est in necessitate: at in presenti casu ille non
est in necessitate, sed in iniqua voluntate: & ideo cha-
ritas tunc non obligat ad credendum illi: neq. etiam
iustitia, quia nemini debet vis, aut fraus patrocina-
ri: ergo hic etiam vim vi repellere licet. Detrimen-
tum autem, quod aggressori sequitur illi potius, quā
se defendenti imputatur.

Hoc ergo posito difficultas superest, an in eo ca-
su incuratur irregularitas, quando quis res tantū
& nullo modo vitam defendit, quia nimirum di-
mittendo res, incolumis esset persona: Multi afir-
mant incurri tunc irregularitatem. Est communis
Panor. & aliorum in capit. 2. de Homicid. Tenet So-
cinus in capit. Ad audientiam, eodem titulo, & Villa-
diego

*Bona tempore-
ralia an pos-
sint licite de-
fendi cum
interitu eius
qui vult illa
violente au-
ferre.
i. Opinio.
Maiol.
Vera sen-
tentia.*

*An qui in se
res suas de-
fendendo ad
lium occidit
irregulari-
tatem.
Abbates.
Socin.*

Villadieg
Nauarr.
Plouius.

Glossa.

Inson.
Prus. fun-
damentum.

Reiicitur.

Firmius
fundamen-
tum.

Secunda
sententia.
Covarr.
Castro
Soto.

diego tractat. de irregularitate. Idem Nauarrus in A Summa cap. 15. numer. 2. 4. & 5. & ca. 27. num. 209. & 213. Nicolaus Plouius tractatu de Irregularitate, regul. 36. vbi specialiter loquitur de clericis. Idem a fortiori tenent omnes, qui putant talem defensionem esse illicitam, quod de clerico etiam affirmat Glossa vltima in cap. 2. de Homicidio, & in principio 23. quaestione 3. verbo *Fugiens*, & in cap. *Dilecto*. de Sententia excommunicationis, in sexto, in verb. *Bonis*, Iason in l. *Vi vim*, ff. de Iustitia, & iure. Priores vero auctores fundantur, quia homicidium illud, quamuis faculabile, est tamen voluntarium, quod facit est ad irregularitatem, vt patet in homicidio iusto, facto a iudice vel milite. Antecedens declaratur, quia esto, possit quispiā res suas defendere hoc modo, non tamen cogitur, nec precepto obligatur: ergo quando id facit, omnino voluntarie facit. Sed hęc ratio non sufficit, nam etiam quando quis defendit propriam vitam, non habet preceptum se defendendi occidendo alium, sed potest ex motiuo charitatis permittere potius se occidi, quam alium occidere; nisi in aliquo casu speciali ob circumstantiam personę alius ordo sit necessarius, de quo alias, & nihilominus homicidium illud non censetur voluntarium ad incurrendam irregularitatem, quia alius infert moralem vim: idem ergo dicitur in presenti casu, solumque erit differentia secundum magis, & minus, quatenus propensio, & ius ad tuendam propriam vitam maiora sunt, quam ad conseruandas res externas.

Proprium ergo fundamentum esse debet, quia ius canonicum solum exceptit defensionem proprię vite propter summam necessitatem moralem: quod est signum non reputasse sufficientem minorem necessitatem ad negotium irregularitatis. Nec sine causa: nam licet illa necessitas excuset a culpa, non tamen a defectu lenitatis, qui in hoc maxime cernitur, quod homo eligit potius sanguinem proximi effundere vsque ad eius mortem, quam res caducas, & temporales amittere. Antecedens patet ex Clementina de Homicidio, vt solum excipit eum, qui mortem aliter vitare non valet. Item in cap. 2. de Homicidio, dicitur: *Te, tuque liberando*: in quo significatur, tunc solum excusari irregularitatem defendendo bona, quando cum illis simul periclitatur persona. Fauet etiam cap. *Suscipimus*, de Homicidio, ibi: *Expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & verum sustinere iacturam, quam pro conseruandis rebus vilibus, & transitoriis in alios tam acriter exardescere*. Facit etiam in cap. *Significasti*, 2. de Homicidio. Addit denique Nauarrus dict. cap. 15. numer. 5. hoc seruare Curie Romanę stilum, qui facit, (inquit) ius, iuxta cap. *Quam graui*, de Crimine falsi.

Nihilominus contrariam sententiam tenuit, quamuis sub formidine, Covarruias in dicta Clementina in 3. part. in fine, cum Fortunio in l. *Vi vim*, ff. de Iustitia, & iure. Quod etiam tenet Castro lib. 2. de Lege pœnali, cap. 14. Insinuat Soto lib. 5. de Iustitia, quaest. 1. artic. 8. vbi quoad hęc irregularitatem nihil distinguit inter eum, qui se, vel suā defendit. Fundamentum huius opinionis tām est, quia tale homicidium est inculpabile. Respondet autem Nauarrus, debile esse hoc fundamentum, quia etiam in iudice, vel milite homicidium est inculpabile. Sed exemplum non est simile, quia illud homicidium omnino voluntarium est: nam ipsemet homo sese ingerit illi ministerio, & actioni, & in hoc maxime consistit defectus lenitatis: in Præsenti autem casu illud homicidium non est voluntarium, neq; homo se ingerit, sed moraliter cogitur ad illam actionem. Vnde in priori casu homicidium est intentum per modum punitionis, in quo talis actionis indecentia consistit, in hoc vero sola defensio est intēta: homicidium vero censetur tamquam per accidens sequutum.

Proprium vero fundamentum esse debet, quia hęc irregularitas pro illo non est in iure expressa, vel comprehensa. Hoc autem probatur, quia vel colligitur ex iure nouo illius Clementinę, vel ex antiquo: neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia in illa Clementina nihil de hoc casu statuitur, sed ad summum potest summi argumentum a contrario sensu, vel ab speciali, de quo iam diximus supra in materia pœnali, præsertim irregularitatis, esse insuficiens, vt censetur irregularitas sufficere expressa in tali iure. Sed præterea hic non admittimus argumentum ab speciali, quia hoc supponit exceptionem a generali regula: supra autem ostendimus, nullam vnquam fuisse generalem regulam, per quam fieret irregularis, qui occidit alium in suam defensionem. Non fuit ergo illa exceptio, sed generalis declaratio facta a Pontifice, vt in eo casu esset certitudo: de reliquis autem nihil declarare voluit, sed disputationi Doctorum reliquit.

Imo iuxta hanc interpretationem, quod nimirum illud non est nouum ius, sed declaratio antiqui, colligere possumus, non solum ibi esse exclusam extensionem ad alios casus, sed potius datam esse Doctoribus facultatem extendendi declarationem illam ad casus similes quantum ad formalem rationem. Quod declaratur primo, sumpto exemplo ex priori parte illius textus, in qua solum nominatur furiosus, infans, & dormiens: quod non vetat, quominus adicere possimus ebrium ex ignorantia inuincibili, iuxta sententiam magis receptam, & veram propter similitudinem rationis: & quia illę personę non de nouo excipiuntur illo iure, sed de nouo declarantur comprehensę. Rursus in altera parte solum fuga mortis nominatur: & tamen extendenda est declaratio ad fugam mutilationis: nam etiam si aggressor nollet me occidere: sed manum, vel nasum, vel aliud simile membrum abscindere, possum me tueri occidendo illum, si aliter non possum. Nam licet in eo casu irregularitatem incurri dixerint Plouius, Villadiego, & Maiolus supra; oppositum est sine dubio verum. Quod tenent Cardinales in eadem Clementina, & Syluester, *Homicidium*, quaest. 4. & Covarruias dicta part. 3. in 7. nu. 2. Quia si mutilatio iniuste alteri facta comparatur homicidio quoad irregularitatem inducendam, quomodo defensio proprię personę a mutilatione non æquiparabitur defensioni a morte quoad excusandam irregularitatem. Item illa est maxime necessitas moralis, vnde habet eandem rationem excusationis, saltem quoad modum coactionis: quod satis esse videtur, etiam si non sit omnino æqualitas in gradu. Præterea idem videtur dicendum, etiam si non timeatur mutilatio: nec vulnus lethale, quando moraliter imminet periculum grauis perculsionis corporis, siue illius grauitas posita sit in notabili lęsione, seu vulneratione corporis, siue in contumelia, vel infamia notabili, vt est in alapa, aut percussione virgę vel arundinis, &c. vt indicauit Soto dicto articulo octauo, ad finem. Et ratio est, quia in his omnibus est eadem formalis ratio excusationis, quę est necessitas, & innocentia. Deinde quia integritas corporis, & conseruatio eius homini commissa est, sape etiam huiusmodi læsio, vel contumelia plurius æstimatur, quam vnus membrum abscisio: ergo, &c. Atque hinc fit gradus ad defensionem honoris, de quo supra diximus, agendo de obligatione fugiendi.

Ac tandem fit extensio ad bona etiam externa: nam licet hęc sint minoris æstimationis, etiam sunt suo modo necessaria ad vitam. Vnde auctores contrarię sententię fatentur, si sint ita necessaria, vt sine illis maneat homo in extrema necessitate, posse illa defendere vsque ad necem alterius absque irregularitate. Idem ergo erit, si sint necessaria ad statum

ad statum, quia etiam cadere ab statu moraliter reputatur res valde grauis: inferre ergo necessitatem, quæ ad hoc compellat, est moraliter cogere: & effectus inde fecutus non potest censeri homicidium voluntarium, cum vis illa iniqua sit. Atque hinc fit, vt defensio honorum: de qua agimus, regulariter loquendo, huiusmodi sit; quia oportet, vt bonæ sint alicuius momenti, vt initio dixi: hæc autem ordinariè vnicuique necessaria sunt ad suum statum. Accedit denique, quod si hæc impune defendi non possent, daretur prauis hominibus licentia inferendi similes iniurias, & qui illas paterentur, necessario constituerentur in graui necessitate ad vitam conseruandam. Hinc etiam apud Iuris peritos hæc temporalia bona quodammodo vitæ comparantur, quatenus ad illam necessaria sunt; argumento I. Ad notati, in fine, C. de Aduocatis diuersorum Iudicum. De quo multa congerit Tiraquellus de Nobilitate, capit. 31. numer. 363. vsque ad 370. Videri etiam potest Iulius Clarus lib. 5. verbo Homicidium, num. 25. & numer. 47. Ergo non minus Clementinæ de Homicidio, huic sententiæ non repugnat, sed potius per quandam similitudinem, analogiam, vel reductionem declaratio illa potest ad omnem iustam defensionem extendi.

Superest probanda altera pars de antiquo iure, in quo in primis nullum inuenitur verbum alicuius textus, quo magis fiat irregularis defendens bona sua, quam defendens vitam suam: sed ostendimus, etiam ex iure antiquo non esse irregularem eum, qui alium occidit defendendo vitam suam: ergo neque erit defendendo bona sua ex vi iuris antiqui. Consequentia euident est. Maior autem probatur primo, quia nullus est textus, qui de hac defensione potius, quam de alia specialiter loquatur: quod si per generale verbum occidendi non comprehendebant antiqua iura occisionem factam in defensionem vitæ: quia illa non est tam occisio, quam defensio, nec tam voluntaria, quam necessaria; idem dici poterit de omni defensione iusta, vt ex discursu proxime facto constat. Secundo idem probatur discurrendo per aliquos textus, qui ad hoc adduci solent: primus est capit. 2. de Homicidio. ibi: *Tes tuæque*. Sed ex hoc verbo non colligitur, ad vitandam irregularitatem necessariam esse vitam, & bona simul defendere: alias qui solam vitam absque alijs bonis defendendo, alium occidit, ex vi illius iuris fieret irregularis: quod absurdum est. Ibi ergo solum explicatur, illud fuisse sufficientissimum ad vitandam irregularitatem: quod vero fuerit necessarium, non dicitur. Quod si velimus illud signum copulatiuum non complexiue (vt Dialectici aiunt) sed diuisiue intelligere, fauebit potius ille textus dictæ sententiæ: nam sensus erit, si te defendendo, occidisti, non eris irregularis: & similiter, si tuam defendendo. Neque est in illo textu aliquid, quod huic interpretationi repugnet, cumque ampla sit, in materia fauorabili admittenda videtur. Estque optimum simile in cap. Verum, de Iure iurando, vbi vel absoluentis, vel imminis esse dicitur à vinculo iuramenti, qui illud inuitus pro vita, & rebus seruandis fecit. Vbi particula & quæ ad nostrum institutum spectat non copulatiua, sed copulatiue intelligenda est.

Adducitur præterea capit. 3. de Homicidio, vbi qui furem nocturnum occidit, non censetur reus homicidij; secus vero qui occidit furem diurnum. Etratio redditur, quia in diurno potest discerni ad furandum, non ad occidendum venisse. Sed si recte expendatur textus ille potius probat oppositum: sumptum enim est capit. illud ex Augustino, lib. 2. Questionum in Exodum, question. 84. vbi exponit legem illam latam exodi 22. & illius rationem reddit, explicatque esse intelligendam, quando fur tantum exercere tentat iniustitiam furti, & potest fugari, vt dampnum non inferat absque homicidio,

It. Suarez tom. 3.

vel lesione eius: tunc enim certum est homicidium esse, qui enim occidit: nos autem loquimur, quando fur diurnus pervim vult aliena bona rapere, etiam si cognoscatur, & videatur. Quod vero in eo casu aliter censendum sit, patet ex verbis, quæ Augustinus subiungit, & in eo eodem textu afferuntur: Hoc & in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, inuenitur impune, scilicet, occidi nocturnum furem quod inodo; diurnum autem, si se cum telo defenderit: iam eundem est, quam fur. Lex autem illa est 4. ff. ad l. A-

quiliam, in qua exponendo verba illa, Si se cum telo defenderis, autem est sermo de defensione vitæ: & hoc non, quia non est immunis ab homicidio, qui occidit latronem, propterea quod se defendit, ne occidatur, cum in hoc licite faciat: neque enim ita se defendit, nisi quia alius eum aggreditur: vel est sermo de defensione earum rerum, quas furto auferre, & deferre molitur: & iuxta hunc sensum, qui legitimus videtur, inde potius colligitur non esse reum homicidij, qui occidit furem telo se defendentem, ne à furto faciendo, & exequendo impediatur, & abijciatur re infecta. Et ita constat differentia inter furem diurnum, & nocturnum: nam in nocturno discerni non potest periculum mortis, aut modus violentiæ, quam inferre tentat, & ideo non obligatur homo nisi ad vociferandum, (vt dicitur in prædicta l. A.) & intelligendum est: quando id sine periculo propriæ vitæ fieri potest: tunc enim est medium accommodatum ad fugandum furem sine eius occisione; & ideo intencandum prius est, vt defensio sit moderata. Si autem id non sufficit, aut præmitti non potest sine periculo morali: tunc licitum est præuenire, & occidere, quia non est aliud medium accommodatum ad se, vel sua bona tuendum. Quod secus est in fure diurno: nam tunc constare potest de modo furti, & de periculo, quod esse potest in resistentia furis, & regulariter sunt alia media, quibus impediatur furtum sine occisione furis. Si autem nullum sit, tunc non prohibetur defensio bonorum, nec de hoc casu sermo est in prædicto textu.

Præterea colligi solet hæc irregularitas ex capit. Suscepimus, de Homicidio, vbi sermo est de quibusdam Clericis. Et ideo Panormitanus, & alij putant, saltem Clericis esse specialiter prohibitum sumere arma ad defendendam hæc bona: ideoque irregulares fieri, si occidant, etiam si aliter euitare non possint furtum. Sed neque hoc colligitur ex illo textu, quia homicidium; quod in eo casu commissum est, non fuit factum in puram defensionem. Nam in primis Clerici illi ligauerunt latrones, quæ ad furandum venerant: vnde manifestum est, multo facilius potuisse eos liberos, ac vacuos dimittere, sine villo periculo rerum, aut personarum. Deinde quia, vt Glossa ibi notat, Monachus, qui illos occidit, nulla necessitate vitandi nocumentum id fecit; potuisset enim ipse fugere, priusquam illi à vinculis soluerentur: nam res, quas furari poterant, seruata iam erant, vel certe illas secum deferre poterat: non ergo fuit illa moderata defensio, sed immoderata aggressio, vel punitio propria authoritate vsurpata. Atque ita intellexit textum illum Couarruias supra n. 6. cum alijs, quod refert.

Quarto induci solet capit. Significasti, 2. de Homicidio, vbi quidam Presbyter latronem, qui ornamenta Ecclesiæ asportabat, fossorio arrepto percussit, vt nimium bona Ecclesiæ, quæ sub sua erant cura, defenderet: & nihilominus irregularis censetur, si vultus lethale fuit. Sed nec ex hoc textu sumitur probabile argumentum: quia ex illo non constat, percussionem illam necessariam fuisse ad defendendam Ecclesiæ bona: nam satis fuisset vociferatio, vt ex discursu eiusdem textus constat: nam Parochiani statim adfuerunt. Vnde in fine textus ait Pontifex: quatinus liceat vim repellere, tamen cum moderamine

Ppp

l. 4. ff. ad l. Aquilam.

Ca. Suscepimus, de Homicidio, ex penditur.

Couarr.

C. Significasti, 2. de Homicidio.

in culpa tutela: significans in prædicto casu non A
fuisse seruatum dictum moderamen. Deinde occa-
sione huius textus posset inquiri, an maneat quis ir-
regularis occidendo aliquem in defensionem re-
rum alterius: nam in eo textu Clericus ille non de-
fendebat res proprias, sed Ecclesiæ; & ideo dici pos-
set non licuisse illi absque irregularitate eas defende-
re cum periculo occidendi alium; quia Ecclesia
ipla vult potius res suas amittere, quam Sacerdotes
suos sanguinem fundere. Sed licet verum sit potuisse
Ecclesiam hoc declarare, tamen ex illo textu talis
declaratio non colligitur, vt ex dictis patet. Quid
vero in eo casu dicendum sit de defensione rerum
alienarum, dicemus in sectione sequenti, ad finem.

72.
Posterior
sententia
præferitur.

Ex his ergo satis ostensum videtur in iure anti-
quo, huiusmodi irregularitatem non contineri.
Possuntque hic addi antiqui canones, in quibus si-
gnificatur, per homicidium priuatum, sine culpa, &
sine voluntate factum, non incurri irregularitatem,
capit. *Hi qui arbores*, cum duobus sequentibus, dist.
50. Et facit etiam capit. *Quia te*, eadem dist. vbi vide-
tur sermo esse de illo, qui in defensionem libertatis
suz, ne scilicet à Saracenis in captiuitatem adduce-
retur, eos occidit: de quo dicitur, nullo modo inde ca-
nonice iudicare, quia non sua sponte fecit. At vero si stan-
dum esset in rigore contrariæ sententiæ, quod sola
defensio propriæ vitæ excuset irregularitatem, non
sufficeret defensio propriæ libertatis: quod illi tex-
tui repugnare videtur, & per se se videtur valde ab-
surdum. Et si quis dicat, libertatem æquiparari vitæ,
respondemus ita æquiparari, vt non sint idem, ne-
que cum omnimoda æqualitate. Et ideo si talis æqui-
paratio admittitur, hinc nos colligimus, intra nō es-
se cum illo rigore intelligenda; ideoque æquipara-
tionem extendendam esse ad omnem legitimam
culpæ excusationem, ratione cuius homicidium
non censeatur propriæ sponte factum, sed vi, & co-
actione ipsiusmet aggressoris exortum. Propter hæc
igitur videtur hæc sententia satis probabilis, & iura
prædictæ, & in rigore iuris vera. Et fundamenta con-
trariæ opinionis ex dictis sunt expedita: licet enim
communior videatur, tamen quia non habet fun-
damentum iuris sufficiens, & hæc materia tota pen-
det ex iure, & odiosa est; ideoque illam sequi non
cogimur.

SECTIO III.

*An ex homicidio facto ob licitam proximi de-
fensionem irregularitas con-
trahatur.*

Diximus de omni defensione propriæ,
tam quoad corpus, eiusque integritatem,
quam quoad exteriora bona
fortuna, quæ suo modo locum ha-
bent, vt declarauimus: superest dicē-
dum de innocentis proximi defensione honesta, &
charitati consentanea. Multi enim existimant, etiā
in eo casu, interueniente alterius proximi occisione,
aut mutilatione contrahi irregularitatem. Ita
sentiant Glossa, & Doctores in dicta Clementina, &
23. quæstion. 8. in principio, Syluester, *Homicidium*, 1.
quæstion. 9. Armilla verbo *Irregularitas*, numer. 41.
Nauarrus capit. 27. numer. 213. Maiolus libr. 5. capit.
48. numer. 9. & alij, quod refert Couarruias, dicta
Clementina, part. 3. §. vnico, numer. 5. Fundamen-
tum potest esse, vel quia tale homicidium non est li-
citurum, cum æque diligenda sit vita vnius proximi,
ac alterius; vel quia licet possit fieri sine culpa,
non est casus in iure exceptus; quia dicta Cle-
mentina solum loquitur de defensione vitæ pro-
priæ.

Prima sen-
tentia.

Glossa.
Syluest.
Arm. II.
Nauarr.
Maiol.
Couarr.

Nos tamen consequenter loquendo contrariam
sententiam veriorē existimamus, quam Couar-
ruias, & alij supra citati consequenter etiam re-
nunt, & Maior in 4. distin. 15. quæstion. 30. Et in pri-
mis suppono, licitum esse innocentem defendere a
morte, etiam si necesse sit aggressorem interficere,
vt est communis sententia, quam ex Alciato, & alijs
referat Iulius Clarus verbo *Homicidium*, numer. 23. Iul. Clar.
quam Nauarrus, & alij admittunt. Et ratio est, quia
magis est diligendus proximus innocens, quam
propria bona, vel externus honos: sed hæc licet de-
fendere cum occisione aggressoris, si necessaria sit;
ergo & proximum. Imo sunt qui censeant, hoc ca-
dere sub obligationem præcepti, propter ea iura,
quæ dicunt, participem esse culpæ, qui mortem proxi-
mi potest impedire, & negligit, capit. *Error*, §. di-
cto capit. *Non inferenda*, 23. quæst. 3. cum similibus, &
fauet capit. *Dilecto*, de Sententia exi. omni. in 6. vbi
dicitur, licere vnicuique pro repellenda proximi
iniuria suam impertiri auxilium; imo si possit, &
negligit, videri iniuriantem fouere, ac esse participem
eius culpæ. Verum tamen non censeo hoc esse sub
obligatione, nisi in aliquo casu, in quo persona, quæ
defendenda est, maxime necessaria sit Republicæ,
vel Principi eius, vel propriis pater, aut filius, iux-
ta ordinem charitatis, vel aliquam iustitiæ obliga-
tionem, vt late Nauarrus in Manuali, capit. 24. nu.
17. & 18. Couarruias, dicta Clementina, 3. part. §. 1.
numer. 7. & in regula *Peccatum*, 2. part. §. 3. numer. 4.
cum Panormitano, cap. 1. de Offic. delegati, num. 5.
Syluester, *Homicidium*, 1. num. 10. iuxta quæ senten-
tiam regulariter nulla interuenit hic obligatio;
quia licet charitas obliget ad defendendum proxi-
mum, non tamen cum tanto discrimine alterius.
Nam etiam propriam vitam non semper tenemur
defendere cum tanto damno proximi. Et licet vnus
sit innocens, & alter iniquus in eo facto, tamen illa
non est sufficiens ratio obligationis cum tanto de-
trimento alterius proximi. Maxime si necessarium
sit (prout regulariter contingit) propriam vitam
periculo exponere propter alium defendendum: de
qualariis in 2. 2. quæst. 64. art. 7.

In præsentem ergo, quando homicidium non so-
lum sit licite, sed etiam ex obligatione, longe verifi-
cilius est non incurri irregularitatem, vt in parti-
culari notauit Cardinalis, dicta Clementina de Ho-
micidio, quæst. 18. & Castro lib. 2. de Lege pænali
capit. 14. Et ratio est, quia tale homicidium nec cul-
pabile est, vt supponitur, nec moraliter voluntari. Cap-
itum ex duplici capite. Primo, quia non est intentum,
sed per accidens sequitur ex tali defensione, ad
quam quodammodo cogit ipsemet aggressor, sup-
posito naturali amore patris ad filium, vel filij ad pa-
trem, & similibus personarum. Secundo, quia ipla
met lex sua obligatione quodammodo cogit ad ta-
le homicidium etiam si homo, quantum est ex se,
fortasse nollit talibus actionibus se immiscere. Et
confirmatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 40. artic. 2. vbi
ait: *Nulli, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id per
quod suo officio incongruus reddatur. Vnde et conuerso
colligimus, quoties aliquis licite exercet id, ad quod
faciendum iure naturali, vel diuino compellitur,
non posse inde reddi incongruum, vel inhabile ad
officium suum: ergo qui ex obligatione naturalis
præcepti occidit vnum, vt defendat alium, seruatis
legibus moderata defensionis, non potest in-
de fieri irregularis, alias fieret ineptus ad officium
suum.*

Dices, hoc argumentum ad summum procedere
de Clericis, qui ex officio res sacras administrant;
imo de illis, aiunt aliqui, solum probare, non fieri
irregulares ad vsum suscepti ordinis, quia iam sunt
in eo officio constituti, & ad illud habent ius ac-
quisitum: nihilominus vero fieri irregulares, ne
ascendant ad superiores ordines, in quorum offi-
cio non.

Eludatur.

cio nondum sunt constituti. Sed hoc non recte dicitur, tum quia distinctio hæc applicata ad præsentem casum, nullum habet fundamentum in iure, sine quo in præsentī materia loqui non possumus; tum etiam quia constitutus in inferiori ordine, verbi gratia, subdiaconatus, etiam habet ius ascendendi ad superiores ordines, nisi illis fiat indignus: non est autem minus inconueniens, quod homo amittat hoc ius, vel quod fiat inhabilis propter obseruationem præcepti ad vsum talis iuris potius, quam ad vsum ordinis suscepti. Quæ ratio procedit etiam de laicis: nam licet non habeant officium clericale, tamen habere possunt; non ergo debent fieri inhabiles propter obseruationem præcepti simpliciter impositi, & præuenientis (vt sic dicam) eorum voluntates: in quo distinguuntur à ministris iustitiæ, de quibus infra. Ac denique per se est absurdum dicere, laicos fieri irregulares per aliquod homicidium, per quod, seruata eadem proportionē, non fieret Clericus irregularis: quia si ibi interuenit sufficiens defectus lenitatis, maiorem indecentiam inferet in Clerico, quam in laico. Itaque quando interuenit absoluta obligatio talis defensionis, hæc res magis certa videtur.

In defensione licita, non tamen ex obligatione eadem sententia iudicatur.

Item tamen censetur dicendum, quoties defensio licita est, quamuis non cadat sub obligationem, dummodo fiat cum moderamine inculpate tutelæ. Hoc autem probandum est eodem discursu, quo vltimus in præcedenti sectione; quia irregularitas in eo casu non colligitur ex Clementina de Homicidio; neque ex antiquiori iure: ergo nulla est. Prior pars anteceditis patet, tum quia in dicta Clementina non est hoc expressum, quod requiritur in iure: tum etiam quia argumentum à contrario sensu in hac materia est inefficax, vt sæpe dictum est: tum denique quia illa Clementina non tam inducit nouum ius, quam declarat antiquum, iuxta veriorē sententiam: declaratio autem in vno casu expresso, non excludit alias in casibus, in quibus sufficiens similitudo rationis inuenta fuerit: hic autem talis ratio inuenitur, quia debemus proximum diligere sicut nos ipsos, & plusquam temporalia bona. Altera pars anteceditis probatur, tum quia in iure antiquo nullus inuenitur textus, qui specialiter de hac defensione, vel de hoc genere homicidij loquatur. Deinde fauent alia iura, quæ significant, homicidium priuatum non inducere irregularitatem, nisi sit culpabile; quæ paulo antea citauimus. Et in hoc sensu est probabile argumentum, quo multi vtuntur, quia interficiens Clericum in defensionem proximi, non incurrit excommunicationem, vt est communis sententia Innocentij, & aliorum in capitulo. Si vero, de Sententia excommunicationis. De qua videri potest Conarruias dicto numero. 4. in regula Peccatum, & Iulius Clarus verbo Homicidium, num. 29. ergo neque incurrit irregularitatem. Quamquam enim hoc argumentum à simili per se non sit efficax, tamen supposito, quod versamur in materia, in qua sine culpa non incurrit irregularitas, efficax est; ideo enim excommunicatio non contrahitur in eo casu, quia talis occisio fit sine culpa.

Conarr. Iul. Clarus

Vnde tandem confirmatur, quia irregularitas homicidij non contrahitur nisi per culpam, aut per spontaneam voluntatem, vt in superioribus probatum est: sed in hoc homicidio non interuenit culpa, vt supponimus, neque est spontanea voluntas: tum quia ibi non est intenta occisio, sed defensio, quæ quodammodo etiam per vim exorta est ab iniquo aggressore. Confirmatur præterea: nam si quis inuasus ab alio, vt occidatur, aliquem vocet ad suam defensionem, & illi arma præbeat, vt se adiuet, & defendat, non incurrit irregularitatem, etiam si ille defensor occidat aggressorem, vt fatetur Nauarrus Fr. Suarez tom. 5.

Nauarr.

numer. 212. Quia qui potest se defendere per seipsum, potest etiam per alium: ergo neque etiam ipse defensor fiet irregularis. Addo etiam, si contingat defensorem occidi ab inuasore, non propterea fieri irregularem eum, qui ipsum vocauit in suum patrocinium; quia licite id fecit, & effectus est per accidens sequutus: cur ergo solus ille, qui ex charitate defendit, erit peioris conditionis, quando victoriam obtinet, & interficit aduersarium? Et ita etiam facile soluuntur omnia, quæ contra hanc doctrinam obijci possunt. Et fateor quidem, contrariam esse communius receptam; existimo tamen introductam esse occasione verborum dictæ Clementinæ, quæ non satis à prioribus autoribus expressa videntur, quos reliqui sine maiori examine sequuti sunt; quia verba illa vix sunt fere expressa, vt Nauarrus loquitur, qui cum addidit fere, suam fere damnauit sententiam, quia capit. Is qui, de Sententia excomm. in 6. non requiritur fere expressum, sed simpliciter expressum. Eo vel maxime quod nec fere expressa sunt, neque villo modo fauentia, nisi in quadam specie, seu apparentia, vt satis declaratum, & probatum est. Quod autem Nauarrus obijcit de communi praxi, non etiam obstat, quia si quæ est talis praxis, ex prædicta opinione ortum habuit, vel etiam quia res saltem semper fuit dubia, & ideo securius indicatum est dispensationem petere, præsertim cum his in casibus vix aliquis sit securus de adhibita moderatione necessaria in tali defensione.

DISPUTATIO XLVII.

De irregularitate ex homicidio licito ob defectum lenitatis contracto.



ACTENVS diximus de priuatis homicidijs, nunc dicendum superest de his, qui autoritate publica fiunt, & consequenter iusta sunt: nam si sint iniusta, eo ipso non sunt ex potestate publica, sed admiscetur abusus ex priuata voluntate, ac potentia. Duo autem sunt modi exercendi hanc potestatem: scilicet in criminali iudicio, & in bello, & in vtroque modo possunt variæ personæ interuenire: de quibus sigillatim dicemus.

SECTIO I.

Virum iudex ferens sententiam in causa sanguinis, irregularis fiat.



Suppono in tota hac disputatione sermonem esse de persona capaci irregularitatis, vt excludam hominem non baptizatum, in quo nondum Christi membro effecto non consideratur lenitatis defectus, vt significat Innocentius I. epist. 3. capit. 3. C. Quæ similiter, 23. quæstion. 3. de quo plura disputatione 40. Hoc ergo supposito dicendum est, Iudicem ferentem sententiam in causa sanguinis, effectum secuto, irregularem fieri. Est communis resolutio, quæ probari solet ex capitulo. Sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, &c. Ibi tamen non dicitur, laicos, qui sententiam sanguinis tulerunt, non posse fieri Clericos, sed solum vt Clericus talem sententiam non dicat, aut proferat, quod longe diuersum est; imo nec ipsis Clericis

Conclusio.

Ca. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi.